



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 81. Deputatorum oppositio contra Cæsaris responsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

§. LXXXI.

Sæc. XVI.
A.C. 1529.*Deputatorum oppositio contra Cæsaris
responsum.*

Deputati perlecto hoc responso rursus contra illud appellationem interponere aggrediebantur, ac reapse provocationis tabulas conficiebant, easque, testibus hanc in rem adhibitis, Alexandro Schweiffio ad Cæsarem defendendas tradebant. Hic quidem id muneris subire primo renuebat, tandem vero acquiescebat. Verum audax hoc Deputatorum facinus Cæsar tantopere indignabatur, ut illis indicta carceris ac proscriptionis bonorum pœna prohiberet, ne pedem e diversorio moverent, aut literas ad Germanos perscriberent, donec aliud decerneretur. Eo tempore, quo præsens Cæsaris mandatum ceteris Deputatis significabatur, absens erat Michael Cadenus, qui & ipse ex Deputatis unus fuit: cum vero per famulum suum de tota rei serie edoceret, quantocius datis literis de omnibus, quæ nuper gesta fuere, Norimbergensem Senatam certiolem fecit, existimans, quod ipse mandato ceteris suis fociis dato non adstringeretur.

Equidem Deputati haud diu Placentiæ detinebantur, eoquod Cæsar in-

M m 5

de

Steid. l. cit.
p. 204.

Sæcul. XVI. de Parmam paulo post delatus, illis die
A.C. 1529. trigesima prima Octobris ferme illico
 post adventum suum nunciari juberet,
 quod eos ad suos reverti permetteret.
 Hoc mandatum deferendi negotium de-
 mandatum fuit Nicolao Granvellano,
 qui Cattinaræ a secretis erat, atque a-
 liunde rerum gerendarum dexteritate
 eminebat. Ceterum ab hac redeundi
 facultate excludebatur Cadenus, qui sub
 capitis poena remanere a Cæsare ju-
 bebatur, forte ea ex caussa, quod insu-
 perhabito Imperatoris mandato literas
 in Germaniam misisset, quamvis alia
 adhuc hujus interdicti ratio assignetur,
 quæ tamen priori minus vero similis
 esse videtur. Huic nihilominus Hassiæ
 Landgravius negotium dederat, ut Cæ-
 sari libellum eleganter compactum, qui
 doctrinæ summam paucis complecteba-
 tur, porrigeret. Cadenus jussa fide-
 liter exequitur, ac Cæsari, cum ad rem
 Divinam pergeret, libellum vel per se
 ipsum, vel saltem per alium tradidit,
 quem Cæsar quantocius cuidam Epis-
 copo Hispano tum præsentem examinan-
 dum dedit. Hic vero post maturam il-
 lius discussionem Carolo significabat,
 quod hujus libelli Auctor adversus Chri-
 stianorum Magistratum jurisdictionem
 acriter declamaret, palamque assereret,
 quod jus gladii nullatenus Principibus
 Christia-

Christianis competeret, sed nonnisi gentibus a Christiana fide alienis illo uti permetteretur. Forte hac de causa detinebatur Cadenus; nam rationibus haud spernendis inniti videtur, quod Cæsar cum illo de libelli hujus Auctore conferre, simulque ab eo causas edoceri voluerit, ob quas Landgravius præfatum libellum eidem porrigere ausus fuisset. Ut ut res se habeat, id omnino exploratum habemus, quod Cadenus Caroli mandato parere, periculosum fore ratus, equo clam conscenso celeriter Ferrariam, inde Venetias secesserit, domumque reversus fuerit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1529.

§. LXXXII.

Dissidia inter Lutheri, & Zwinglii Seditatores.

Vix Norimbergensis Senatus literas a Cadeno scriptas acceperat, cum illico ad Saxoniam Electorem, Hassiam Landgravium, ceterosque Fœderatos nuncium mitteret, qui eis significaret, quod Cæsar Spirense Decretum observari omnino decrevisset. Ea res ansam præbuit percelebri Smalcaldico fœderi, pro cuius firmitate præfati Principes conventui suo circa finem Novembris initium dedere. Priusquam vero se convenirent, Hassiam Landgravius rursus

Cochl. in act.
& script.
Luth. hoc an.
p. 199.
Sleid. l. c.
p. 201.
Vide supra
lib. 3. n. 87.
& 95.

dissidia